

aquam: ergo statutum vel lex puniens portantes perlas, aurum, vel vestes, intelligatur veras & naturales, non fictas. Sed in contrarium facit textus notabilis & expressus in leg. Vellera. Cod. de Vestibus holoberis & auratis lib. II. qui aperte probat, quod prohibitus portare vestes versicolores, puniatur etiam si talis vestis vel color non sit verus & naturalis, sed fictus: & ita per illum textum notat & tenet ibi Bartol. & Platea; & certè est dubia difficultas. Sed in hoc articulo ista sit notabilis & vera concordia, scilicet, quod si statutum sit factum pro evitandis sumptibus & expensis in regno vel loco, tunc procedat sententia Bartol. in dict. leg. I. §. I. ff. de Fonte, quia tali casu cessat ratio: Si verò fiat ea ratione, ne mulieres, vel viles personæ æquiparentur & assimilentur matronis vel dignioribus personis, (quod iustissimum est, ut in leg. Mimæ, & ibi Bald. & communiter DD. Cod. de Episc. audiend.) tunc procedat doctrina Bartol. & aliorum DD. per textum ibi in leg. Vellera. Cod. de Vestibus holoberis & auratis, lib. II. quia militat eadem ratio: Et in terminis istam doctrinam & concordiam ponit Georg. Nat. in capit. Quamvis pactum, de pactis, in 6. 14. column. num. 114. Unum tamen est, quod si in domo propria quis portet vestes prohibitas, non incidet in pœnam; quia videtur cessare ratio prohibitiva: & in terminis ita probat Pragmatica final. de Valladolid, anni 1537. loquendo in secundo casu & membro nostræ distinctionis.

50. Advertendum tamen, quod contra superiora expressè tenet Angel. in dict. leg. 3. §. Neratius. ff. de Acquirend. possess. imò, quod in omnibus prædictis casibus non requiritur apprehensio ad hoc ut quis incidat in pœnam, sed sufficiat quod sit convictus per probationes, argumento textus in leg. unic. Cod. de raptu virgin. sed melius facit lex 2. Cod. de Custod. reor. text. in leg. 3. ff. de Furtis. textus in leg. Si quis in servitute, in fine. eod. titul. Nec obstat secundo dict. lex Si Barsatoram. Cod. de Fidejussor. Quia ibi non imponit pœnam delinquenti, sed concedit præmium iudici vel alteri personæ inventienti furem, quo casu requiritur apprehensio & repræsentatio: & istud tenet & sequitur Imol. in dict. §. Neratius. Roman. in leg. I. ff. de Acquirend. possess. final. column. Sed his non obstantibus, superior doctrina & conclusio est vera & magis communis; imò quod indistinctè lex vel statutum intelligitur de actuali apprehensione: sed in hoc pro vera concordia & doctrina dico, quod si lex vel statutum punit delictum aliàs à jure naturali vel communi punibile, non requiritur apprehensio: & ita procedant jura in contrarium adducta: Si verò delictum non

sit à jure punibile, sed noviter puniatur à lege vel statuto, ut in casibus & exemplis superioribus; tunc requiratur actualis apprehensio: ita singulariter determinat & concordat Angel. in Authentic. de Sanctissimis Episcopis. §. Reverendissimis. collat. 9. quem sequitur & commendat Cœpola in dict. leg. Si fugitivi. penultim. column. Cod. de Servis fugit. & istam doctrinam & concordiam sequitur & reputat mirabilem August. in additionibus ad Angelum de Malefic. in part. dictus Andr. armat. final. column.

51. Pro complemento tamen hujus articuli, & materia thesauri, quæro: dato quod per apprehensionem thesauri consequatur quis possessionem ejus, an totus thesaurus efficiatur suus, vel pro qua parte? In quo articulo breviter & resolutivè dico, quod sit prima conclusio: Quod si quis inveniat & apprehendat thesaurum in proprio solo vel fundo, totus efficitur suus: textus est in leg. Numquam nuda. §. Thesauros. de acquirendo rerum domin. textus melior & formalis in §. Thesauros. Institut. de rerum divis. & hoc, sive reperiat casu, sive data opera: dum tamen non arte magica quærat; quia tunc totus confiscaretur: textus est in leg. I. Cod. de Theauris, & ibi Glossa ordinaria, Platea, Lucas de Penna, & communiter DD. Cujus ratio est: quia inventio thesauri est donum & beneficium Dei, quod sordibus artibus maculari non debet, nec quæri arte magica, quæ est omninò reprobata: idem probat & disponit lex 45. titul. 28. 3. part. Dubium tamen est, an hodiè hoc sit correctum per leg. 8. titul. 12. lib. 6. ordinament. ubi disponitur, quod hoc casu, deducta prius expensa, inventor habeat tertiam partem, alias verò duas habeat Rex: sed certè videtur, quod illa lex tantum intelligatur in locis, ubi sunt aliquæ minæ, non aliàs.

Secunda conclusio: Quod si reperiat in alieno fundo casu, non data opera, medietas est inventoris, medietas verò est domini fundi: si verò data ad hoc opera, rotum erit domini fundi, modò præstiterit licentiam, modò non: text. est in leg. Una. Cod. de Theauris. lib. 10. text. in dict. §. Thesauros, & utrobique communis opin. Glossa ordinaria & Doctor. in cap. Si quid invenisti. 1. question. 5. & idem determinat dict. lex Partit. Et ratio per quam, etiam si quærat de domini voluntate, nihil habet inventor, si data opera fecit, est, ne homines propter hoc derelinquant culturas rurales, vel invitentur ad malas artes: ita Plat. in dict. leg. Una. 2. column. num. 5. & ante eum Fab. in dict. §. Thesauros. 2. column. prope fin. Adde tamen, quod hodiè de jure nostro, si quis inveniat thesaurum in fundo vel loco alieno, casu, tunc

tunc videtur quod tertia pars dividatur inter inventores & dominos, cum semper duæ partes sint Regis, & hoc argumento l. 8. tit. 12. lib. 6. ordin. & ita dixi in quæstione de facto: si verò data opera cum licentia domini, nullam partem habebit dominus; sed 3. pars erit inventoris, aliæ duæ partes Regis, ut dict. l. Ordinam. si verò data opera & sine voluntate domini, videtur quod tertia pars sit domini fundi, aliæ duæ partes Regis, argumento illius legis ordin. Cogita tamen si dici possit quod præd. ordin. lex loquatur tantum in minis, jura verò communia in thesauro, & sic remaneat incorrecta, & ita teneo.

52. Tertia conclusio: Quod si quis inveniat thesaurum in loco Principis, vel in loco publico Civitatis, dimidia pars pertinebit inventori, alia dimidia ipsi Principi, vel Civitati: text. est in l. 3. §. fin. ff. de Jure fisci, & ibi notant DD. text. in dict. §. Thesauros, & ibi communis opinio & idem disponit dict. lex Part. in fin.

Quarta conclusio: Quod si quis inveniat thesaurum in Ecclesia, vel loco sacro, vel religioso; totus erit inventoris, si casu inveniat; ita probat text. in dict. §. Thesauros, & ita tenet ibi Fab. 2. col. & Gloss. in dict. cap. Si quid invenisti. Sed contraria sententia est verior; imò quod dividatur, & medietas sit inventoris, & alia medietas loci religiosi: ita text. expressus in dict. leg. 3. §. fin. de jur. fisci. & ibi Bart. ita expressè Plat. in dict. 3. §. Una. Cod. de Theauris, fin. col. idem Palac. in dict. §. Thesauros, Instit. de rer. divis. 1. col. & ita tenet Glos. ibi in verbo, religioso, in fin. & ibi Nicol. de Neapol. & istam dicit, magis communem opin. Jas. in addit. ad Christophor. ibi. 2. col. Nec obstat text. in dict. §. Thesauros, qui loquitur inspecta naturali ratione; sed expressa constitutione juris debet dividi, ut in leg. 3. §. fin. ff. de Jure fisci. & ita respondent DD. ut supra; si verò data opera quis invenisset, totus esset Ecclesiæ vel loci religiosi, argum. prædictorum.

53. Tertio infero, quod si tutor, vel curator, vel procurator alicujus, cum legitima & debita solemnitate vendat rem minoris, vel domini sui, non potest per visum vel aspectum transferre possessionem, cum isti non possideant; & sic non concurrit voluntas possessoris tradentis: ita expressè determinat Bart. dict. leg. 1. ff. de Acquir. posses. fin. col. in princ. num. 44. Joan. de Imol. penultim. col. in fin. vers. Item diligenter pondera. Aretin. fin. col. num. 32. vers. ultim. adde. Alex. in antepenult. column. num. 87. Jas. penult. column. num. 101. Vincent. ibi, num. 68. Rip. num. 66. ob Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

Et eadem ratione idem esset in prælato synodico Ecclesiæ, & in executore testamenti: nec distinguo, an habeant istæ personæ generale vel speciale mandatum ad alienandum & possessionem tradendam, cum utroque casu militet superior ratio.

54. Quarto infero, quod iudex executor, vel nuntius pro executione sententiæ, non potest per visum & aspectum transferre possessionem; sed requiritur quod actualiter mittat partem in possessionem, cum talis iudex vel executor non possideat: ita etiam determinat Bart. in dict. leg. 1. penultim. column. in princip. num. 23. Angel. 2. column. prope fin. Imol. penult. column. in fin. Aretin. notabiliter ibi, penultim. col. num. 31. Cuman. penult. col. in princip. Roman. penult. column. in fin. Alexand. antepenultim. col. num. 85. Vincent. numer. 95. Jas. in antepenultim. column. numer. 96. Franc. de Rip. num. 60. & istam conclusionem tenet etiam Specul. in tit. de primo Decreto. §. Jam de effectu, in princ. idem tenet Abb. reputans esse singulare in cap. 2. de Consuetudine, antepen. col. vers. Hoc tamen procederet, & reputat etiam singularem ibi Barbat. 15. column. num. 86. facit bonus text. in leg. 2. Cod. Qui potior. in pignor. hab. text. in l. Non est mirum, de pignor. action. Quod tamen limita & intellige singulariter, quando actualiter potest fieri missio: secus tamen est si propter potentiam & resistantiam adversarii, vel alio justo impedimento non possit fieri missio; quia tunc sufficit, quod iudex executor, vel nuntius ostendat rem vel fundum de longè, & per visum tradat possessionem; & si adhuc non posset in conspectum rei pervenire, poterit in absentia solo verbo tradere possessionem: ita probat text. singularis & unicus in leg. Cum unius, §. fin. cum lege sequenti. ff. de Bonis author. judic. possed. ubi dicitur, quod si propter latronum potentiam, seu inundationem fundi, res non possit possideri; creditor qui jusus est mitti in possessionem, habetur pro possessore vel detentatore, ac si actualiter missus esset, & ad hoc notat & commendat ibi Glossa ordinaria & reputant singularem & unicum Bart. Alber. & Angel. & istam conclusionem per illum textum tenet Bart. in l. 1. fin. col. ff. de Acquir. posses. & ibi Imol. penultim. col. Aretin. penult. col. Alex. antepen. col. num. 85. Roman. penult. col. in fin. Jas. 12. col. n. 96. ubi valde commendat in practica, quia ex hoc possunt evitari plura vulnera, & cædes, quæ propter tales introitus & apprehensiones solent perpetrari: illum textum etiam ad hoc notant & commendant Bald. & Paul. Salyc. & Fulgos, in l. Non est mirum. ff. de Pignor.

*actio.* & illum etiam reputat unicum Bald. in leg. *Ob maritorum*, Cod. *Ne Uxor pro marit.* 2. column. num. 3. idem Bald. in leg. 3. Cod. *Ut in posses. legat.* Pro qua sententia & conclusione facit etiam textus in leg. *Si finita*. §. *Illud queritur*. ff. de *Damno infecto*, in fine, ubi probatur, quod si quis ex causa non potest venire in possessionem, perinde est ac si missus esset, & ad hoc notant & commendat ibi Bart. Paul. Imol. Cuman. facit etiam textus expressus in cap. *Contingit*, de *dolo & contum.* ubi, ille qui iussus est mitti in possessionem, si dolo vel potentia adversarii non admittatur, habetur pro misso, & illa ficta missio operatur eosdem effectus, quos vera & actualis missio operaretur: & ad hoc notat & commendat ibi Hostiensis, Cardinalis, Bald. Imol. Ancharan, & communiter DD. notat etiam & commendat Anton. de Butr. in cap. *Cum aliquibus*, in fin. de *re jud.* & ibi Imol. & notabiliter Felin. 2. column. numer. 4. Alber. in leg. 1. §. *Jusserim*, 1. column. in fin. ff. de *Acquirend. posses.*

Quintò subtiliter infero, quòd si hæres, postquam est factus dominus per additionem hæreditatis, velit acquirere possessionem; debet eam apprehendere per actum verum & naturalem, & non poterit querere per visum, vel aspectum oculorum; ex eo quòd non est aliquis possessor de cuius voluntate sibi fiat traditio: & in terminis ita probat textus, quem ad hoc noviter considero in leg. *Cum hæredes*. ff. de *Acquirend. posses.* ibi: *Possessio autem nisi naturaliter comprehensa sit, ad nos non pertinet: & sic aperte requirit quòd possessio queratur per actum verum & naturalem.*

55 Sextò etiam infero, quòd si hæres, postquam est factus dominus, & ante apprehensam possessionem, vendat, donet, vel alienet aliquam rem hæreditariam, non poterit transferre possessionem per visum, vel aspectum oculorum, per rationem superiorem; cum ipse non possideat: Nec obstat, quòd hæres, qui tradit, sit dominus: Quia jura superiora & communis opinio formaliter requirunt quòd tradens possideat, nec est in consideratione, an sit dominus, vel non? Unum tamen est, quòd licet non possit quis querere possessionem per visum, vel aspectum, nisi concurrat voluntas tradentis possessoris; tamen illud est verum, quando quis vult de novo illam querere; secus verò si amisit possessionem naturalem per absentiam & retineat civilem; quia si postea redeat in conspectu rei, statim recuperat possessionem naturalem, quam perdiderat: ista est Gloss. singularis in leg. 1. ff. de *Acquirend. posses.* in gloss. 2. in med. versic.

Item quid si non est in conspectu, quam ad hoc notat & commendat ibi Paul. de Cast. 2. column. in fin. Cuman. fin. column. in medio. Alexand. 9. column. num. 35. Socin. 8. column. vers. *Dum vult*. Vincent. antepenult. column. num. 16. Rip. penultim. column. num. 72. Confirmatur: quia cum iste possideat civiliter, & possit per visum alteri tradere possessionem, meritò sua voluntate poterit sibi querere: & idem est quando redderet prope rem: quia si habeat civilem, statim recuperat naturalem: ita Gloss. & communiter DD. ubi suprà: quia ea quæ sunt habitu & potentia propinqua, videntur esse in actu, ut in leg. penultim. ff. de *Testament. mil.* Unde, facilitas apprehendendi possessionem naturalem hoc operatur, & ista est intentio Gloss. & DD. ubi suprà.

Ex quibus subinfero unum novum & singulare, quòd si quis per longam absentiam & oblivionem amiserit possessionem utramque, tam civilem, quam naturalem, & sit omnino vacans, juxta notata per Bartol. & Doctor. in leg. *Si de eo*. §. *Si forte*. ff. de *Acquirend. posses.* & in l. *Fundum*. §. *Fundi*. ff. de *Usucapion.* & per Gloss. & DD. in leg. fin. Cod. *Unde vi*; tamen, si talis quondam possessor revertatur animo querendi possessionem, acquirat eam per visum, vel aspectum rei, vel eo ipso quòd proximus sit, nec requiretur actualis apprehensio, ex suprà dicta ratione; quia non tractatur de querenda possessione de novo, sed de recuperanda amissa, nec obstat quòd non sit possessor, & in hoc actu ficto requiratur, quòd queratur possessio de voluntate possessoris, ut suprà dixi & declaravi: Quia debet intelligi, quando agitur de querenda possessione de novo: secus verò si de antiqua amissa recuperanda; quia facilius permittitur & acquiritur, quia res revertitur ad suam naturam: argumento text. in leg. *In rebus*, Cod. de *Jure dotium*, ubi licet in querendo dominio de novo requiratur traditio, ut in leg. *Traditionibus*. Cod. de *Pact. cum similib.* tamen in re acquirenda, & recuperando dominio amisso non requiritur. Facit etiam textus notabilis in §. fin. *Institut. de legitima agnat. success.* ubi probatur, quòd licet pactum de futura successione querenda de novo non valeat, ut in leg. *Stipulatio hoc modo concepta*. ff. de *Verbor. obligat.* & in leg. fin. Cod. de *Pactis, cum similib.* tamen pactum de conservanda vel recuperanda successione amissa bene valet & tenet: Facit etiam bonus text. in l. *Videmus*, in 2. §. *Item si indebitum*, & §. *Si actionem*. ff. de *Usuris*, & in leg. 2. Cod. de *Pactis inter emptor. & vendit.* ubi favorabilior est restitutio, quando peto illud quod aliquan-

do fuit meum; quam quando peto de novo illud quod numquam fuit meum; sed intendo de novo acquirere. (p) Ex quibus infero unum singulare & utile: quòd si ille qui habet civilem possessionem in absentia, postea consequatur naturalem possessionem vacantem, non dicitur eam de novo acquirere, sed potius continuare: unde si cavetur lege vel statuto, quòd pro qualibet possessione quæsita de novo solvatur certa gabella, non tenetur solvere ille qui ingressus est prædictam possessionem naturalem vacantem: ita singulariter Abb. in cap. *Cum venisset*, de *restitut. spoliat.* 2. col. num. 7. & ante eum ibi Dominus Anton. 2. col. in princ. num. 7. & tenet & commendat Joan. de Firmo, Advocatus Consistorialis in 8. part. principali, in 2. membro, in fin. quest. num. 29. Quod tamen limitata & intellige, quando talis possessio naturalis esset amissa per solam absentiam, & post reversionem recuperaret; quia ista acquisitio nullam vel modicam videtur afferre utilitatem: secus verò quando acquireretur naturalis, in cuius acquisitione esset utilitas, quia fortè erat apud fructuarium vel usuarium, & talis usufructus vel usus extinctus est; quia reputaretur nova acquisitio, & deberetur gabella: ita singulariter Socin. in leg. 3. §. *Nerva filius*, 2. col. in princ. ff. de *Acquir. posses.* & ibi Jas. 2. col. in 3. notabil. Sed certè ista opinio mihi non videtur vera; imò etiam in hoc casu crederem quòd non sit acquisitio nova, nec debeatur gabella: argumento text. in leg. 4. ff. de *Jure dotium*, & eorum quæ suprà dixi.

Præterea ultra prædictos DD. inferò, quòd etiamsi absens utramque possessionem amiserit, ut in casu l. fin. Cod. *Unde vi*, & postea reversus ingrediatur suam rem vacantem, & consequatur utramque possessionem; non dicitur de novo acquirere, sed potius continuare, & sic non deberet gabellam; argumento eorum quæ suprà dixi: Quod reputo novum & subtile. Confirmatur per textum notabilem in leg. 1. Cod. de *Imponenda lucret. descrip.* ubi probatur, quòd lex, statutum, vel dispositio, disponens quòd donatione, vel aliis quæ titulo lucrativo acquiruntur, solvatur gabella, non habet locum, nec debet solvi de donatione, vel his rebus quæ acquiruntur inter ascendentes & descendentes; quia non videtur propriè donatio, vel lucrum: & similiter, si hæres arctetur ad solvendam gabellam de hæreditate,

non tenetur eam solvere filius; quia non dicitur de novo acquirere: & ad hoc notat & commendat illum textum ibi Bartol. & Plat. in princ. tenet & commendat Ang. in §. *Sui Institut. de hæred. qual. & differ.* 2. column. in fin. facit text. & quæ ibi latè notantur in leg. *In suis*. ff. de *Liber. & posthum.* Unum tamen est, quòd ista erit semper nova possessio, & non antiqua; cum illa jam fuit amissa, ut dixi latè suprà.

56 Secundus actus vel modus fictus, per quem acquiritur possessio, est per traditionem instrumenti in quo continetur jus vel titulus ipsius rei; ut si quis vendat, donet, vel ex alia causa promittat alteri suam rem, & tradat scripturam vel instrumentum, in quo continetur jus vel titulus, mediante quo tradens habuit illam rem; statim in emptorem, donatarium, vel recipientem transit possessio ipsius rei, & per consequens dominium, & usucapiendi conditio: textus est singularis in jure, in l. 1. Cod. de *Donat.* & ibi Glossa ordinaria, & communis opinio DD. & illum textum reputat singul. Joan. de Imol. in l. fin. 2. col. in fin. ff. de *Donat.* & illum textum reputat singul. Alexand. in l. 3. ff. de *Acquir. posses.* 3. col. n. 9. Et ratio est, quia per traditionem instrumenti, in quò continetur jus vel titulus ipsius rei, fingitur tradita ipsa res: nam cum traditio instrumenti respectu sui nihil principaliter operetur, conveniens fuit quòd operetur in re ipsa contenta in instrumento, ut fingatur tradita, ne actus sit inutilis; & istam rationem ponit Salycet. in leg. *Licet*, Cod. de *Acquir. posses.* 2. col. vers. *In quinto casu*, argumento text. in leg. *Labeo*, cum leg. sequent. juncta Gloss. & communi opinione. ff. de *Pactis*. Et istam doctrinam & conclusionem intelligo, tam in rebus immobilibus, quam mobilibus; cum prædicta lex prima & ejus ratio militet in utroque casu: licet solus Angel. de Per. in leg. 3. de *Acquirend. posses.* teneat, quòd solùm procedat in rebus mobilibus, cum loquatur in instrumentis emptionum servorum donatis, & possessio rei mobilis vilis & abjecta sit, quæ faciliter transit & deperditur, ut in l. *Si non mobilem*: juncta gloss. ff. de *Acquir. posses.* quam videtur sequi Vincent. in dict. l. 3. 9. col. num. 11. Sed teneo absque dubio, quòd habet locum in omnibus; quia illud exemplum text. & facti contingentia non arctat regulam, nec potest assignari ratio concludens differentia: & pro hac mea

(p) Sed in quo versatur iste major favor? certè in eo quòd fructus veniunt à tempore mortis, licet aliàs regulariter in actione stricti juris non veniant nisi à tempore litis contestatæ, leg. *Cum fundus*. ff. *Si certum petatur*.

mea sententia est hodiè casus apertus in l. 8. tit. 30. part. 3. quæ ponit exemplum expressè in re immobili. (q) Item adde, quòd ista conclusio & doctrina, quæ habet, quòd per traditionem instrumenti transit possessio ipsius rei; debet intelligi quando traditur instrumentum in quo continetur jus vel titulus, mediante quo tradens habuit illam rem; (r) non tamen sufficit traditio instrumenti noviter confecti de titulo, causa, vel contractu, per quem nunc res alienatur: ita expressè tenent & declarant Petrus, Cyn. Alber. Bald. Salyc. & communiter DD. in dict. l. 1. Cod. de Donat. Imol. in dict. l. 3. ff. de Acquir. posses. 1. col. post medium, Aretin. 2. col. in med. Alex. notab. 3. post princ. Vincent. 7. col. num. 17. Bald. in leg. Ab emptione, 1. lect. 3. col. post princ. ff. de Pactis. Pro qua sententia facit text. in dict. leg. 1. in princ. Cod. de Donat. dum dicit, quòd instrumenta emptionum servorum fuerunt donata & tradita; & sic loquitur de instrumentis juris vel tituli antiqui: sed certè ille textus parum urget, quia ibi non potuit intervenire traditio alterius instrumenti tituli novi, cum nullus titulus verus vel contractus ibi geratur, sed tantum fuit traditum instrumentum emptionum servorum, ex qua traditione resultat præsumpta & tacita donatio ipsorum servorum. Quidquid tamen sit, superior conclusio & opinio est vera & communis omnium DD. quos supra allegavi; scilicet, quòd requiratur traditio instrumenti juris vel tituli antiqui, mediante quo tradens habebat illam rem: Hodiè tamen aperte istud corrigitur per leg. nostri Regn. imò, quòd sufficiat traditio instrumenti novi præsentis alienationis: ita probat & determinat, lex 8. tit. 30. part. 3. ibi dum dicit: *O faciendo otra de nuevo, y dandosela*, Idem probat lex 2. tit. 12. lib. 3. For. II. ibi dum dicit: *O le diere dende carta*, quæ jura sic intelligit & mandat Doctor Palac. Rub. in repetitione sua fol. 56. 1. col. num. 6. Cifuentes in leg. 17. his II. Taur. 3. col. vers. Tertius casus, & ibi Palac. Rub. 10 col. vers. Per traditionem scripturæ. Consideravit tamen, si possit dici quòd prædicta lex Part. istud non velit dicere: nam cum illæ leges ferè numquam intendunt corrigere jus commune, sed tantum confirmare vel

declarare, ut dicitur in principio & prologo ipsarum; non est credendum quòd dicta lex corrigat jus commune: Unde, ut illa lex non obstat, possèt intelligi in instrumento juris vel tituli antiqui tradito; ut ipsa dicit in principio; & dum dicit: *O faciendo otra de nuevo, y dandosela*, intelligatur, quando antiqua scriptura juris vel tituli sit deperdita, vel consumpta, vel cancellata, & sit de novo refecta ex hoc, vel ex alia justa causa, juxta Glossam notab. & ibi DD. in Authent. de hered. & falc. in princip. col. 1. & juxta doctrinam Bald. in Authent. si quas ruinas, Cod. de Sacros. Eccles. 2. col. num. 4. ubi ponit, quòd ex quatuor causis potest instrumentum renovari. Imol. in leg. 2. ff. Solut. matr. penultim. col. in princip. Bart. per textum ibi, in leg. Chyrophaphis. ff. de Admin. tutel. Jas. in leg. fin. Cod. de jur. Emphyt. num. 33. & in l. 10. 11. & 12. titul. 19. 3. part. & de tali scriptura loquitur prædicta lex. Nec obstat etiam dicta lex fori, ibi dum dicit. *O le diere dende carta*, quia potest intelligi de instrumento juris & tituli antiqui, quo tradens habebat rem. Sed quicquid sit, certè hodiè videtur esse expressa lex 17. supra his II. Taur. ibi: *O le ovriere entregado ante Escribano la Escripura dello*, & lex 44. etiam his II. Taur. (s)

58 Item adde, quòd prædicta conclusio superius verificata, quæ habet, quòd per traditionem instrumenti transfertur possessio, debet intelligi & extendi, modò res illa continetur in instrumento sit præsens, modò absens: ita expressè Glossa ordinaria in dict. leg. 1. in verb. *Et traditis*, cum prædicta lex generaliter loquatur, & quasi præsentia instrumenti traditi repræsentet ipsam rem contentam in eo: & ita etiam ibi Petr. Cyn. Joan. Faber. in suo Breviario. Angel. de Perus. & Salycet. & idem tenet Imol. dicens esse bene notandum, in cap. 2. de Consuet. pen. col. num. 14. argumento text. in dict. l. 1. Cod. de Donat. quæ indistinctè loquitur: & ista est communis opin. quidquid tenet Bald. in dict. leg. 1. Quod tamen declaro isto modo: nam si tradens instrumentum possidebat ipsam rem civiliter & naturaliter, quia erat propè rem, taliter quòd faciliter possit ingredi, quo casu retinet utramque possessionem, ut supra dixi; tunc transfertur utraque posses-

(q) Actus fictus, per quos possessio transfertur, concessit Glos. in leg. 3. in princip. verb. *Animo*. ff. de Acquir. posses. Chazanæus in Consuetudinib. Burgundiæ rubr. 7. §. 1.

(r) De quo vide supra in leg. 17. num. 16. ibi *Quod fiat traditio*.

(s) Nec obstat si dicas quòd illæ II. loquuntur in melioratione tertii & majoratu; ergo non extenduntur ad alios actus vel contractus; quia respondeo quòd in omnibus militat eadem ratio, & non videntur leges correctoriæ, sed confirmatoriæ vel declaratoriæ nostri juris regni post leges partitarum.

sio: si verò possidebat tantum civiliter, quia res erat longè absens; tunc per traditionem instrumenti transfertur sola illa civilis, cum in alium non possit transferre plus juris, quam ipse habuit, ut in leg. *Nemo plus juris*. ff. de Regul. juris. in leg. *Traditio*. supra, de *Acquirend. rerum dom.* in leg. *Ex empto*. ff. de action. empr. in leg. *Si debitor*. Cod. de *Distrahend. pignorb.* in regul. *nemo potest de regul. juris*. in 6. in quaestione. Et nuper. versic. *Nos autem*, de *donat. inter. vir. & uxor.* Ex qua conclusione sic declarata infertur clarè, quòd si tradens instrumentum nullo modo possidebat, quòd tunc non transfertur possessio aliqua in accipientem, argumento text. in leg. *Quædam*. ff. de *Rei vindic.* & leg. *Quamvis*. §. *Si conductor*. juncta Glossa, ff. de *Acquirend. posses.* & in expressò ita tenet Glosa ordinaria in dict. leg. 1. Cod. de *Donat.* in glossa final. & ibi tenent Cyn. Faber. & Salycet. alii verò DD. nihil tangunt.

59 Adde tamen, quòd supra dicta debent intelligi, nedum quando quis expressè vendit, donat, vel concedit rem, & postea pro ejus executione tradit instrumentum, quo habuit rem; verum etiam quando simpliciter vendit, donat, vel concedit ipsum instrumentum; quia eo ipso videtur illum titulum conferre in ipsa re, & possessionem ejus transferre: ita probat textus in leg. 1. Cod. de *Don.* text. in leg. *Lubeo*. ff. de *Pact.* textus in leg. *eum qui Chyrophaphum*. ff. de *Legat* 1. text. in leg. 3. ff. de *Liber. leg.* textus in leg. *Mortis causa capimus*. §. *Titia*. ff. de *Donat. caus. mortis*. text. in leg. 2. Cod. quæ *res pign. oblig.* possunt. text. in leg. *Nomen eodem tit.* text. in leg. *Creditorem*. Cod. de *Remis. pignor.* text. in cap. penultimo, ut *lite pendente*, & ubi bique communiter DD. Nec obstat quòd quando simpliciter traditur res, non videtur donari, nisi sit modica, & tradens dives, & recipiens pauper; ut est Glossa singularis & unica, juncta sententia & communi opinione DD. in leg. *Cum quid*. ff. *Si cert. petatur*, in glossa penultim. in fin. quam dicit unicam Imol. in leg. *Cotem ferro*. §. *Qui maximus*. ff. de *public. & vestig.* 1. column. & probat bene textus in cap. *Et si questiones*, de *Simonia*, quem ibi notat & reputat singularem Abb. 1. column. num. 3. & communiter alii DD. de quo vide plura bona & utilia per Palac. Rub. in sua repetitione. 4. fol. Quia respondeo, quòd illa conclus. & communis opinio debet intelligi, quando illa conjectura potest capi, ut non præsumatur donatio: in nostro verò casu, quando instrumentum venditur, donatur, vel traditur, nulla alia præsumptio vel conjectura potest capi, nisi quòd ille titulus censeatur adhibitus in re in instrumento contenta. Ex quo subdeduci-

tur & subinfertur, quòd si quis venderet, donaret, vel traderet alicui arcam, vel clavem, vel frenum alicujus animalis; videtur vendere, donare, vel concedere contenta in arca, vel sub clavibus, vel animal quod regitur illo freno. Vel verius & subtilius ego dicerem, quòd si esset talis res vendita, donata, vel legata, quæ de per se nullam aliam utilitatem contineret, videtur vendita, donata, vel legata res sub ea contenta; ut in chyrographo, vel clavibus: Si verò esset talis res, quæ de per se afferat utilitatem, ipsa sola videtur vendita, donata, vel legata; ut in arca, sella, vel freno, nisi ex pretio aliud debeat præsumi, argumento dictæ Glossæ in leg. *Cum quid*. ff. *Si cert. petatur*, & ibi communis opinio, & in dict. cap. *Et si questiones de Simonia*.

Tertius fictus actus per quem acquiritur possessio, est per traditionem clavium: nam si quis vendat, donet, vel alio titulo alienet res aut merces existentes in domo sua, & tradat claves illius domus vel loci ubi res sunt, statim transit possessio in accipientem, & per consequens dominium earum, vel usucapiendi conditio: text. est notabilis in leg. *Clavibus*. ff. de *Contrah. emption.* quem ibi ad hoc notant Bartol. Bald. Alberic. Odofred. Salyc. & Fulgos. & communiter DD. text. in leg. 1. §. *Si jusserim* in fin. supra isto titul. ibi: *Et vina tradita videri, cum claves cellæ vinariæ traditæ fuerint*. text. in leg. 2. Cod. de *Pericul. & commod. rei vend.* ibi: *Et claves emptoribus traditas*. allegans textum in leg. *Qua ratione*. §. *Item si quis merces*. ff. de *Acquir. rerum domin.* ibi: *Simulatque clavus horrei emptori tradiderit*, &c. text. in §. *Item si quis merces*. Instit. de *rerum divis.* & idem disponit lex 7. tit. 30. 3. part. Et ratio hujus est, quia cum res ipsæ sint sub custodia clavium, traditis clavibus, videntur juris fictione ipsæ res traditæ, ex facili aperiendi & apprehendendi potestate: istam rationem ponit Alberic. in dict. leg. *Clavibus*, de *contrah. emption.* & ibi Fulgos. istam rationem ponit etiam Salycet. in leg. *Licet*. Cod. de *Acquir. posses.* 2. column. prope medium. Socin. in leg. 1. ff. *eodem tit.* penultim. column. post medium. Nicol. de Neapol. in §. *Item si quis merces*, in fin. Instit. de *rerum divis.* & ante omnes ista fuit intentio Din. in cap. 1. de *Regul. jur.* in 6. 5. fol. 3. quæst.

60 Adde tamen, quòd ad hoc ut per traditionem clavium transferatur possessio, est necessè quòd ipsa traditio fiat in præsentia domus, vel loci ubi res sunt: ita Glossa ordinaria in dict. leg. *Clavibus*, de *Contrah. emption.* in glossa 1. & ibi expressè tenet Odofred. Salycet. & est de mente aliorum: idem etiam tenet Bartol. in leg. 1. ff. de *Acquir. pos-*